

# Antoni Słomkowski

---

## Relatui gratiam sanctificantem inter et iustitiam originalem secundum doctrinam s. Augustini

---

Collectanea Theologica 18/1-2, 32-52

---

1937

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

## RELATIO GRATIAM SANCTIFICANTEM INTER ET IUSTITIAM ORIGINALEM SECUNDUM DOCTRINAM S. AUGUSTINI.

S. Augustinus primus esse videtur, qui loquendo de statu primorum parentum in paradiso nomine „iustitia“ utitur. E scriptoribus anterioribus s. Irenaeus, s. Athanasius, s. Gregorius Nyssenus, qui sat amplam doctrinam de statu primitivo primorum parentum habent<sup>1)</sup>, tamen multo minus de eo loquuntur quam S. Augustinus et nomen „iustitia“ ad designandum illum statum non adhibent.

Si agitur de hodierna doctrina de iustitia originali, nemo est qui ignorat discussiones de ipsa notione iustitiae originalis, i. e. utrum includat gratiam sanctificantem an non, aliis verbis, quae sit habitudo iustitiae originalis ad gratiam sanctificantem. Ad elucidandam hanc quaestionem opportunum erit prius ipsam notionem iustitiae in genere et iustitiae originalis in specie exponere. Caeterum, hac quaestione bene elucidata, solutio quaestionis relationis gratiam sanctificantem inter et iustitiam originalem iam nullam difficultatem pariet<sup>2)</sup>.

### I. OPINIONES AUCTORUM.

Diversi auctores, qui sive de iustitia originali sive de s. Augustino tractant, de hac quaestione non multa dicunt.

---

<sup>1)</sup> Vide A. Słomkowski, *L'état primitif de l'homme dans la tradition de l'Eglise avant saint Augustin*, Paris 1928.

<sup>2)</sup> Iam alibi exposuimus, quid s. Augustinus de statu primorum parentum doceat, ideo hic non nisi ea tractabimus quae ad relationem inter gratiam sanctificantem et iustitiam originalem spectant. Vide ks. A. Słomkowski, *Pierwotny stan człowieka według nauki św. Augustyna*, Lwów 1933.

Ampliolem hac de re expositionem habet J. B. Kors, qui de doctrina s. Thomae loquens etiam de s. Augustino sat diffuse tractat<sup>3)</sup>. En quaestiones quas in doctrina Doctoris gratiae elucidare intendit: „In quonam consistit iustitia originalis? Quomodo definiri potest? Quid subiectum eius est?... Quam relationem inter iustitiam originalem et gratiam sanctificantem statuere possumus? Potestne utraque formaliter identificari? aut potius est-ne iustitia originalis solummodo donum, quod quidem gratuitum est, nos tamen ad ordinem supernaturalem non elevat?

Si res sic se habet, est-ne iustitia originalis necessario cum gratia sanctificante coniuncta?“<sup>4)</sup>.

Secundum eum „iustitia originalis apud s. Augustinum est rectitudo moralis, quae in subordinatione inferioris partis superiori consistit, nempe in subordinatione corporis animae, concupiscentiae voluntati, voluntatis Deo“. Auctor in sua argumentatione innitur verbis s. Augustini ex opere *De peccatorum meritis et remissione* desumptis<sup>5)</sup>: „Cum itaque primorum illorum hominum fuerit prima iustitia obedire Deo, et hanc in membris adversus legem mentis suae legem concupiscentiae non habere“<sup>6)</sup> et: „Faciebat quippe hoc ordo iustitiae, ut quia eorum anima famulum corpus a Domino acceperat, sicut ipsa eidem Domino suo ita illi corpus eius obediret atque exhiberet vitae illi congruum sine ulla resistencia famulatum. Hinc et nudi erant et non confundebantur“<sup>7)</sup>.

Quoad relationem iustitiae originalis ad gratiam sanctificantem Kors affirmat s. Augustinum in primis hominibus gratiam sanctificantem agnovisse et addit, quod iustitia originalis donum naturae erat, dum gratia sanctificans donum personae ipsius Adae erat.

---

<sup>3)</sup> J.-B. Kors O. P. La justice primitive et le péché originel d'après s. Thomas, Paris 1930, p. 7—15.

<sup>4)</sup> Ibid. p. 7.

<sup>5)</sup> Ibid. p. 7—8.

<sup>6)</sup> De peccat. merit. et remiss. II 37, P. L. 44, 173.

<sup>7)</sup> Ibid: II, 36, P. L. 44, 172, Kors addit, *ibid.*, p. 8: „On peut voir que chez saint Augustin, l'expression de justice originelle est prise dans le sens de justice actuelle, plutôt que de justice habituelle“. Hoc non est verum, si agitur non solum de textibus citatis sed de tota doctrina s. Augustini, ut infra videbimus.

Ad probandam suam sententiam Kors affert textus ex opere *De correptione et gratia*<sup>8)</sup>, ex quibus patere dicit, quod s. Augustinus rectitudinem naturae, in qua homo a Deo creatus erat, a gratia distinguit; et insuper innititur notione Augustiniana naturae. Et Auctor concludit: „Il semble légitime, à notre avis, de concevoir cette rectitude non comme proprement et substantiellement surnaturelle, mais comme un don spécial, surajouté, qui n'élevât pas à l'ordre surnaturel, comme le ferait la grâce sanctifiante. La justice originelle est donc réellement distincte de la grâce“.

Opinionem Patris Kors A. Michel sequi videtur, qui tamen hac in re minus apodictice loquitur<sup>10)</sup>.

Espenberger rectitudinem cum iustitia originali non identificat, sed eam effectum iustitiae esse affirmat. Secundum eum Adam propter rectitudinem omnia opera ad Deum referebat, nullam resistantiam in se sentiebat et interna pace fruebatur; per iustitiam Adam Deo subditus erat et corpus animae subiectum erat<sup>11)</sup>. Haec iustitia non pars naturae aut proprietatis naturae hominis erat, sed gratia praestabatur<sup>12)</sup>. Sed si amplius progredi et hanc gratiam determinare volumus i. e. utrum haec gratia integritatis fuerit, ut sanctus Bonaventura censuit, an gratia integritatis, quae „ius ad rem“ ad gratiam sanctificantem habuerit, ut Scheeben putavit, an ipsa gratia sanctificans, haec quaestio fortasse nunquam cum absoluta certitudine solvi poterit<sup>13)</sup>. Secundum Espenberger ergo in doctrina s. Augustini de relatione

<sup>8)</sup> De corr. et grat. n. 32; n. 34, P. L., 44, 935; 937: „Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat qui fecerat rectum; dederat adiutorium sine quo in ea non posset permanere si vellet“. „Primo itaque homini qui in eo bono quo factus fuerat rectus acceperat posse non peccare.... datum est adiutorium perseverantiae, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset“.

<sup>9)</sup> Kors, *ibid.* p. 14. Vide *infra*.

<sup>10)</sup> A Michel, art. Iustice originelle, in *Dict. Theol. Cath.* VIII, 2032—2033: „Saint Augustin... semble en effet distinguer la rectitude de la nature dans laquelle Dieu créa l'homme de la grâce par laquelle il l'aidait à faire le bien“.

<sup>11)</sup> Espenberger, *Die Elemente der Erbsünde nach Augustin und Frühscholastik*, Mainz 1905, p. 54—55.

<sup>12)</sup> *Ibid.* p. 56.

<sup>13)</sup> *Ibid.* p. 57.

inter iustitiam originalem et gratiam sanctificantem probabiliter nunquam ad certas conclusiones perveniemus.

Sunt qui ipsam iustitiam originalem<sup>14)</sup> vel iustitiam in genere<sup>15)</sup> cum gratia sanctificante identificant, dum alii de doctrina s. Augustini loquentes gratiam in primo homine non agnoscere videntur; nam de effectibus peccati Adae tractantes, gratiae sanctificantis mentionem non faciunt<sup>16)</sup>. Diversitas opinionum ergo sat magna est. Ut quaestionem nostram bene elucidemus primo ipsam notionem iustitiae in genere et iustitiae originalis in specie evolvemus.

## II. NOTIO IUSTITIAE.

Bene notum est, quod apud s. Augustinum claras notiones et definitiones minime invenimus et ea quae Mausbach de vario sensu quo s. Augustinus voce „libertas“ utitur etiam plus minusve de aliis nominibus valent<sup>17)</sup>.

Certum est, quod doctor gratiae nomine „iustitia“ virtutem cardinalem iustitiae designat. Iustitia est „virtus qua sua cuique tribuuntur“<sup>18)</sup>, et quippe quod Deus est Dominus noster et nos ab eo creati sumus, Deo subditi esse debemus. Hoc postulatur

<sup>14)</sup> Jansenius, Augustinus, t. II, col. 77 sq.; Tixeront, Histoire des dogmes, II, p. 463.

<sup>15)</sup> Cayré, La contemplation Augustinienne, Paris, 1927, p. 129; J. Gottschick, Augustins Anschauung von den Erlöserwirkungen Christi, in Zeitschrift für Theologie und Kirche, 1901, p. 104; Dumont, Le surnaturel dans la théologie de s. Augustin, in Revue de Sciences Relig. 1931, p. 534—536.

<sup>16)</sup> Turmel, Le dogme du péché originel dans s. Augustin, Revue d'histoire et de littérature religieuse, VII, 1902. N. Merlin, S. Augustin et les dogmes du péché originel et de la grâce, Paris 1931, et etiam, si bene intelleximus, J. de Blic, Le péché originel selon s. Augustin, Recherches de science religieuse, XII, 1927.

<sup>17)</sup> J. Mausbach, Die Ethik des heil. Augustinus, II<sup>2</sup>, Freiburg i. B. 1929, p. 25: „In der Lehre von der Freiheit zeigt sich besonders, wie wenig Augustin ein schulmässiger von festgestellten Begriffen abhängiger Denker ist. Alle Bedeutungen, in denen das Wort Freiheit bei Philosophen und Ethikern, bei Propheten und Dichtern gebräuchlich ist, macht er sich in lebendiger zwangloser Weise zu eigen und verwertet sie, je nachdem es die verschiedenen Standpunkte der Praxis oder Polemik wünschenswert machen“.

<sup>18)</sup> De lib. arb. I, 27; P. L. 32, 1235.

etiam iustitia<sup>19)</sup>. Notionem iustitiae s. Augustinus adhuc amplius extendit et per eam dilectionem Dei et proximi intelligit<sup>20)</sup>. Non nunquam iustitiam cum charitate<sup>21)</sup> identificat: „Charitas ergo inchoata, inchoata iustitia est; charitas magna, magna iustitia est; charitas perfecta perfecta iustitia est“<sup>22)</sup>.

Haec identificatio duabus rationibus explicari potest. Ad identificandam iustitiam cum charitate s. Augustinus adducitur ex una parte per hoc, quod iustitia manifestativa charitatis est, i. e. quod is, qui Deum diligit, unicuique quae sua sunt tribuat. Charitas enim nemini iniuriam infert; propterea s. Augustinus dicere non cunctatur: „Dilige, et quod vis fac“<sup>23)</sup>.

Alia ex parte charitas appellari potest ideo, quia iustitia ad charitatem Dei ducit. Qui iustus est, unicuique dat quod debet. Iustitia enim est „virtus, qua sua unicuique tribuuntur“<sup>24)</sup>.

Et quippe quod Deus summum bonum est, ideo super omnia eum diligere debemus et in hoc amore perfecta iustitia consistit. „Haec est enim perfecta iustitia qua potius potiora et minus minora diligimus“<sup>25)</sup>.

Quando s. Augustinus iustitiam cum charitate identificat, ei non tribuit solummodo sensum, quem apud philosophos antiquos habuit et in quo etiam ipse ea utitur, sed per eam etiam exprimere intendit donum Dei, quo filii Dei sumus. „Charitas autem quae virtus est, ex Deo nobis est, Scriptura teste quae dicit, Charitas ex Deo est; et Omnis qui diligit ex Deo natus est et cognovit Deum, quia Deus charitas est (I Joan. IV, 7—8). Secundum istam charitatem melius intelligitur dictum: Qui natus est ex Deo, non peccat; et, quia non potest peccare (I Joan. III, 9). Quia charitas, secundum quam natus ex Deo est, non agit perperam, nec cogitat malum (I Cor. XIII, 4 et 5)... Quasi

<sup>19)</sup> De civ. Dei XIX, 4, 4, P. L. 41, 629. Cf. De morib. eccl. cath. et de mor. manich. I, 25, P. L. 32, 1322; De Trin. XIV, 12, P. L. 42, 1046.

<sup>20)</sup> De div. quaest. 3, q. 61, 4, q. P. L. 40, 51, Plura de re, vide apud Mausbach, op. cit. I<sup>2</sup>, 209—212; G. Combès, La charité d'après s. Augustin, Paris 1934, p. 34—35; 221—222.

<sup>21)</sup> S. Augustinus amorem, caritatem et dilectionem idem exprimere affirmat.

<sup>22)</sup> De natura et grat., 84, P. L. 44, 290.

<sup>23)</sup> In Joan. Ev. tract. 7, 8, P. L. 35, 2033.

<sup>24)</sup> Vide supra.

<sup>25)</sup> De vera relig. 93, P. L. 34, 164.

vero aliud sit bona voluntas quam charitas quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo, et a Patre datam ut filii Dei essemus<sup>26)</sup>. Secundum hunc textum charitas est virtus a Deo nobis data, i. e. virtus infusa, cuius effectus nostra nativitas ex Deo et filiatio est. Hi sunt etiam effectus gratiae sanctificantis. Quippe quod, ut vidimus, s. Augustinus iustitiam cum charitate identificat, concludere possumus quod iustitiae eisdem effectus tribuit. Iustitia sic intellecta non est solummodo virtus moralis, sed exprimit internam sanctificationem et renovationem.

Caeterum non solum indirecte ad hanc conclusionem pervenimus; Augustinus enim per iustitiam statum sanctitatis exprimit, in quo sine dubio includitur id, quod a theologis hodiernis gratia sanctificans vocatur. S. Augustinus affirmat iam nunc in terra „spiritum vitam esse propter iustitiam, quia licet adhuc corpore mortis huius oneremus, iam secundum interiorem hominem coepta renovatione in fidei iustitiam respiramus“. Propter meritum huius iustitiae in futuro etiam nostra corpora vivificabuntur<sup>27)</sup>:

Anima nostra ergo propter iustitiam vivit. Anima vivens seu vita animae apud s. Augustinum significat sine ullo dubio animam participem Dei, seu aliis verbis animam ornatam gratia sanctificante, ut infra videbimus. Hunc sensum iustitiae prae oculis habens s. Augustinus iustitiam quandam pulchritudinem animae esse docet, „qua pulchri sunt homines, plerique etiam qui corpore distorti atque deformes sunt“<sup>28)</sup>.

In eodem sensu de interna renovatione per gratiam sanctificantem utitur s. Augustinus verbo „iustificare“ et adiectivo „iustus“. Gratiam, qua iustificamur, distinguit clare a gratia, qua creati sumus<sup>29)</sup>. Quando homo „ab impietate iustificatur, a deformi forma formosam transfertur in formam“<sup>30)</sup>. Quando Doctor gratiae loquitur de anima formata, quam opponit deformi, seu

<sup>26)</sup> De gratia Christi 22, P. L. 44, 370—371.

<sup>27)</sup> De pecc. merit. et remiss. I, 6, P. L. 44, 112—113. Cf. ibid. 7, col. 113 „vivificabuntur etiam mortalia corpora vestra propter iustitiam, propter quam nunc iam spiritus vita est“. De Gen. ad litt. VII, 36.

<sup>28)</sup> De Trin. VIII, 9, P. L. 42, 954.

<sup>29)</sup> Epist. 177, 7, P. L. 33, 737: „Etsi enim quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus, ut non nihil essemus... alia est tamen, qua praedestinati vocamur, iustificamur, gloriamur“. Cf. De Trin. VIII, 9, P. L. 42, 955—956.

<sup>30)</sup> De Trin. XV, 14, P. L. 42, 1068.

informi exprimit certe animam a Deo illuminatam i. e. Dei participem<sup>31)</sup>.

S. Augustinus clare affirmat quod anima iusta particeps „alterius vitae“ est: „Et cum vivit anima in iniquitate, mors eius est: cum autem fit iusta, fit particeps alterius vitae quae est quod ipsa; erigendo se quippe ad Deum et inhaerendo Deo, ex illo iustificatur. Dictum est enim: Credenti in eum, qui iustificat impium, deputatur fides eius ad iustitiam (Rom. 4, 5). Deficiendo ab illo fit iniqua, proficiendo ad illum fit iusta<sup>32)</sup>.

Anima, quae ad Deum conversa iusta fit, participat, ut patet ex contextu, quodammodo vita Dei, quippe quod „vita eius est Deus“<sup>33)</sup>. Anima quae huius vitae particeps est, simul iusta et sapiens est<sup>34)</sup>.

Concludere ergo licet, quod iustitia apud s. Augustinum diversas significationes habet, et quod etiam statum sanctitatis habitualis designat, in quo homo quodam modo vitae Dei particeps est. Ut videbimus infra, in hoc sensu s. Augustinus utitur voce „iustitia“ quando de primis parentibus generis humani tractat.

### III. IUSTITIA ADAE.

S. Augustinus non appellat statum felicem, quo Adam in paradiso fruebatur, statum iustitiae originalis, ut eum posterioribus temporibus theologi appellant, sed saepius ut diximus voce „iustitia“ utitur de primis parentibus loquens. Iustitia originalis stricte determinatam significationem apud eum non habet, et nonnunquam difficile est rectum sensum invenire, quippe quod ex contextu non semper apparet.

Iustitia originalis significat ex una parte subiectionem hominis Deo et subiectionem carnis menti. „Cum itaque, ait s. Augustinus, primorum illorum hominum fuerit prima iustitia obedire Deo et hanc in membris adversus legem mentis suae legem concupiscentiae suae non habere“<sup>35)</sup>.

<sup>31)</sup> Vide infra.

<sup>32)</sup> In Joann. ev. tr., XIX, 5, 11, P. L. 35, 1549. — Cf. P. Dumont loc. cit. p. 522.

<sup>33)</sup> Ibid. XIX, 5, 12, col. 1550.

<sup>34)</sup> Ibid.

<sup>35)</sup> De peccat. merit. et remiss. II, 37, P. L. 44, 173.



Etenim iustitia exigebat, ut, sicut mens Deo obediebat, sic corpus menti obediret. Ideo primi parentes „placebant Deo et placebat eis Deus; et quamvis corpus animale gestarent, nihil inobediens adversum se moveri sentiebant. Faciebat quippe hoc ordo iustitiae, ut, quia eorum anima famulum corpus a Domino acceperat, sicut ipsa eidem Domino suo, ita illi corpus obediret, atque exhiberet vitae ille sine ulla resistentia famulatum. Hinc et nudi erant et non confundebantur“<sup>36)</sup>.

In his textibus s. Augustinus principaliter insistit in obedientia hominis Deo, affirmando insuper, quod ea „una colitur Deus“<sup>37)</sup>. Effectus huius obedientiae subiectio carnis menti erat. Iustum enim erat, ut homo Deo subditus subditam sibi carnem haberet. Tunc revera „nondum... anima rationalis domina carnis inobediens existebat Domino suo, ut poena reciproca inobedientem experiretur carnem famulam suam“<sup>38)</sup>. Sic ergo inobedientia carnis, quae animae famulatum recusavit, non est nisi effectus inobedientiae ipsius animae, quae adversus dominum suum rebellis exstiterat.

Ad exprimendam eandem proprietatem, quae exprimitur voce iustitia, utitur s. Augustinus vocibus „rectus“ „rectitudo“. De rectitudine loquens insistit Doctor gratiae etiam in obedientia, quam „solam vel praecipuam virtutem appellat“<sup>39)</sup>. Haec rectitudo efficit, ut homo ea velit, quae velle debet et ideo cum bona voluntate identificatur. „Illa itaque perfectio naturae, quam non dabant anni, sed sola manus Dei, non potuit nisi habere voluntatem aliquam eamque non malam: alioquin non scriptum esset, fecit Deus hominem rectum“ (Eccl. VII, 30)<sup>40)</sup>. Secundum Augustinum idem exprimitur quando sermo est de amore directo in debitum finem. Ideo hac in re concluditur: „Recta itaque voluntas est bonus amor, et voluntas perversa malus amor“<sup>41)</sup>.

<sup>36)</sup> Ibid II, 36, P. L. 44, 172.

<sup>37)</sup> Ibid. II, 35, P. L. 44, 172.

<sup>38)</sup> Ibid. II, 36, P. P. 44, 173.

<sup>39)</sup> C. Jul. op. imp. VI, 15, P. L. 45, 1534: „In paradiso enim legem accepit homo qui factus est rectus, ut rationalis creaturae vel sola vel praecipua virtus esse obedientia doceretur“.

<sup>40)</sup> Ibid. VI, 61, P. L. 45, 1496—1497.

<sup>41)</sup> De civ. Dei. XIV, P. L. 41, 410. Cf. De gratia Christi, 22. P. L. 44, 371.

Iustitia sic intellecta ut obedientia mentis Deo seu ut rectitudo voluntatis, vel bona voluntas, cuius effectus subiectio carnis menti erat, non exhaurit totam notionem iustitiae originalis in doctrina s. Augustini.

Ideo impossibile est non nisi hunc aspectum iustitiae originalis considerare et ex eo conclusiones de relatione gratiam sanctificantem inter et iustitiam originalem deducere, sicut fecit Kors<sup>42)</sup>.

Iustitia originalis enim apud s. Augustinum ampliores sensus habet et sine ullo dubio nonnunquam etiam gratiam sanctificantem includit vel cum ea identificatur. Hoc clare apparet in *De Genesi ad litteram*, ubi s. Augustinus obiectioni quorundam respondet, qui „quomodo ergo, inquit, renovari dicimur, si non hoc recipimus, quod perdidit primus in quo omnes moriuntur“. Ad quam obiectionem Doctor gratiae respondet a nobis recipi id, quod perdidit Adam sed solummodo secundum quemdam modum et non omni ex parte. „Non itaque immortalitatem spiritualis corporis recipimus, quam nondum habuit homo; sed recipimus iustitiam, ex qua per peccatum lapsus est homo“. Propter hanc iustitiam ad imaginem Dei sumus, quam Adam peccando amisit<sup>43)</sup>; Adam quoque habens iustitiam ad imaginem Dei erat. Aliis verbis status iustitiae comprehendit idem, quamquam sub alio respectu consideratum, ac status imaginis Dei.

Hoc clare ab episcopo Hipponensi exprimitur in *De Trinitate*: „Renovamini spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, eum qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis (Eph. 4, 23—24). Quod ait, secundum Deum creatum; hoc alio loco dicitur ad imaginem Dei (Gen. 1, 27). Sed peccando iustitiam et sanctitatem veritatis amisit; propter hoc haec imago deformis et decolor facta est: hanc recipit cum reformatur et

<sup>42)</sup> Kors, op. cit. p. 7—8; vide supra.

<sup>43)</sup> De Gen. ad litt. VI, 35, P. L. 34, 353—354. Nemo est, qui ignorat s. Augustinum in libris posterioribus docuisse imaginem Dei in Adam non perditam sed solummodo obsolefactam esse. Cf. *Retrat II*, 24, 2 — P. L. 32, 640: „In sexto libro (De Gen. ad litt.) quod dixi, Adam imaginem Dei secundum quam factus est perdidisse peccato non sic accipiendum est, tanquam in eo nulla remanserit, sed quod tam deformis ut reformatione opus habere“. Cf. *De spirit. et litt.* 48. P. L. 44, 230. *De Trin.* XIV, 6, P. L. 42, 1040.

renovatur“<sup>44</sup>). Ergo verba „secundum Deum creatus in iustitia et sanctitate veritatis“ idem exprimunt ac „ad imaginem Dei“ creatus. Propterea amissa iustitia et sanctitate veritatis imago deformis et decolor facta est.

Clarum est autem quod apud s. Augustinum clare status imaginis Dei includit particularem praesentiam Dei in anima, quod manifesto resultat ex opere *De Trinitate*: „Est igitur natura non facta, quae fecit omnes caeteras magnas parvasque naturas, eis quas fecit sine dubitatione praestantior, ac per hoc hac etiam de qua loquimur, rationali et intellectuali, quae hominis mens est, ad eius qui eam fecit imaginem facta. Illa autem caeteris natura praestantior Deus est. Et quidem non longe positus ab unoquoque nostrum, sicut Apostolus dicit: adiungens, in illo enim vivimus et movemur et sumus (Act. Ap. XVII, 27, 28). Quod si secundum corpus diceret, etiam de isto corporeo mundo posset intelligi. Nam et in illo secundum corpus vivimus, movemur, et sumus. Unde secundum mentem, quae facta est ad eius imaginem, debet hoc accipi, excellentiore quodam, eodemque non visibili, sed intelligibili modo. Nam quid non est in ipso, de quo divine scriptum est, quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia (Rom. XI, 36)? proinde si in ipso sunt omnia, in quo tandem possunt vivere, quae vivunt, et moveri, quae moventur, nisi in quo sunt? Non tamen omnes cum illo sunt eo modo quo ei dictum est: Ego semper tecum (Psal. 72, 23). Nec ipse cum omnibus eo modo quo dicimus, Dominus vobiscum. Magna itaque hominis miseria est, cum illo non esse sine quo non potest esse. In quo enim est, procul dubio sine illo non est: et tamen si eius non meminit, eumque non intelligit, nec diligit, cum illo non est“<sup>44</sup>).

Ergo ad imaginem Dei „excellentiore quodam... modo“ est homo secundum mentem suam et quidem non omnis homo sed non nisi is, qui particulari modo cum Deo est et cum quo particulari modo Deus est, i. e. is qui Dei meminit, eum intelligit et amat. Secus magna est miseria hominis. Hic addi potest, quod expressio „esse ad imaginem Dei“ non semper apud s. Augusti-

<sup>44</sup>) De Trin. XIV, 22, P. L. 44, 1053.

<sup>45</sup>) De Trin. XIV, 16, P. L. 42, 1048—1049. Cf. Gardeil, *La structure de l'âme et l'expérience mystique*, Paris 1927, I, 121.

num eundem sensum habet, sed, ut bene notat Cayré, tum similitudinem, quae homini ex gratia sanctificante venit, tum etiam perfectionem moralem designat<sup>46)</sup>.

Mens, quae Dei particeps non est, seu, ut verbis hodiernae theologiae utamur, quae gratia sanctificante non est ornata, non est secundum Doctorem gratiae pleno sensu ad imaginem Dei, nam in anima, quae Dei particeps non est, haec imago „obsoleta atque deformis“ est<sup>47)</sup>. In homine iusto imago clara et pulchra est.

Iustitia non semel a Deo in homine producta est ita, ut homo iustitiae particeps sibi derelinqueretur, sed ad eam in homine efficiendam continua actio Dei necessaria erat; et tota iustitia opus est Dei, hominis vero non est nisi „converti ad eum a quo factus est, et ab eo iustus, pius, beatusque semper fieri... Non ergo ita se debet homo ad Dominum convertere, ut, cum ab eo factus fuerit iustus, abscedat, sed ita ut ab illo semper fiat. Eo quippe ipso cum ab illo non discedit, eius ipse praesentia iustificatur et illuminatur, et beatificatur, operante et custodiente Deo, dum obedienti subiectoque dominatur“<sup>48)</sup>.

Homo ergo creatus a Deo in paradiso sub continuo influxu Dei erat, Deus ei praesens erat, qua praesentia et operatione Dei homo iustificabatur et illuminabatur et beatificabatur. Procul dubio hic s. Doctor eandem iustitiam prae oculis habet, de qua alio loco dicit: „Haec itaque iustitia (est), qua nos Dei munere iusti sumus“ quippe quod a Deo iustificamur<sup>49)</sup>. Hic verbis s. Augustinus exprimit id quod hodierna theologia nomine gratiae sanctificantis designat: specialem praesentiam Dei in anima. Hac in re Kors bene concludit: „Il n’y a donc, pensons nous, aucun doute à avoir: pour s. Augustin, l’homme dans l’état primitif possédait vraiment la grâce“<sup>50)</sup>.

Quippe quod clarum est, quod apud s. Augustinum iustitia originalis gratiam sanctificantem includit, hic iam terminare possemus. Tamen ad quaestionem melius elucidandam utile erit, quaedam de notione gratiae apud s. Augustinum dicere, speciatim

<sup>46)</sup> F. Cayré, *La contemplation Augustinienne*, Paris 1927, p. 94.

<sup>47)</sup> *De Trin.* XIV, P. L. 42, 1044.

<sup>48)</sup> *De Gen. ad litt.* VIII, 25, P. L. 33, 569.

<sup>49)</sup> *Epist.* 140, 71, P. L. 33, 569.

<sup>50)</sup> Kors, *op. cit.* p. 13,

de adiutorio sine quo non, eo magis, quod nonnunquam iustitia sive rectitudo huic adiutorio opponitur<sup>51)</sup> et sic concluditur, quod iustitia apud s. Augustinum realiter a gratia sanctificante differt.

#### IV. DE GRATIA ADAE COLLATA:

##### a) In genere.

Gratiae vindicandae s. Augustinus magnam partem vitae suae consecravit. In permultis scriptis contra Pelagianos eius realitatem defendit. Si agitur de quaestione quam gratiam s. Augustinus defenderit, sine dubio recte animadvertit Van der Meersch tum gratiam actualem tum habitualementem<sup>52)</sup>. In disputationibus de relatione gratiam inter et iustitiam originalem quaestio est de gratia habituali.

S. Augustinus de statu Adae loquens saepius voce „gratia“ utitur et ei magnas partes in eo statu adscribit. Ea enim ratio exemptionis a concupiscentia erat. Quantum s. Augustinus in exemptione primi hominis a concupiscentia insistat, bene notum est. Haec exemptio non erat proprietas constitutionis hominis, sed gratia praestabatur<sup>53)</sup>. Etenim „gratia... fiebat, ut nuditas corporis nulla eos lege peccati menti eorum repugnante confunderet“<sup>54)</sup>.

Alio loco contra Julianum scribens, s. Augustinus magnitudinem huius gratiae extollit, quippe quod a terreno et animali corpore libidinem amovebat<sup>55)</sup>. „Quando... peccavit Adam... tunc

<sup>51)</sup> Sic Kors, op. cit., p. 14—15.

<sup>52)</sup> J. Van der Meersch Art, Grâce: Dict. Théol. Cath., VI, 1567, Sec. Portalié art. Augustinisme: Dict. Théol. Cath. I, 2531 Augustinus fere semper gratiam actualem considerat. Quod tamen minus rectum videtur. Cf. v. g. De consensu evang. II, 11. P. L. 34, 1076; De nupt. et concup. I, 37. P. L. 44, 434.

<sup>53)</sup> Vide ks. A. Słomkowski, Pierwotny stan człowieka według nauki św. Augustyna, p. 141—149.

<sup>54)</sup> De civ. Dei. XIV, P. L. 41, 426. Cf. ibid. „Ad hoc non errant attentif (Adam et Eva)... ut cognoscerent quid eis indumento gratiae praestaretur, quando membra eorum voluntati repugnare nesciebant“.

<sup>55)</sup> C. Jul. LV, 82, P. L. 44, 781: „Gratia quippe magna ibi erat, ubi terrenum et animale corpus bestialem libidinem non habebat. Qui (Adam) vestitus gratia non habebat in nudo corpore quid puderet“.

eius corpus... gratiam perdidit, qua animae omni ex parte obediebat<sup>56)</sup>. Quam doctrinam episcopus Hipponensis saepius exprimit, affirmando Adamum per peccatum gratiam amisisse et in se concupiscentiam sensisse<sup>57)</sup>.

Quando s. Augustinus gratiam fundamentum exemptionis a concupiscentia esse affirmat, expresse non dicit, de qua gratia agatur. Ea tamen, quae hac de re dicit, manifestant gratiam hanc non pertinere ad constitutionem naturae humanae; hic cum Mausbach dicere possumus „gratiam indumentum luminosum esse, quod animam ornat et naturam animale[m] hominis nobilitando circumdat“; et quia s. Doctor eam gratiam cum indumento comparat, exprimit eam ab extra homini advenire nec ad eius constitutionem pertinere<sup>58)</sup>.

Haec gratia sine dubio eadem est, ac ea, cui alio loco ab eo filiatio adoptiva primi hominis adscribitur. Hanc adoptionem expressam esse docet in Evangelio s. Lucae de genealogia Christi loquentis. Lucas enim „adoptionis originem ipse suscepit“ et „ipsum Adam filium Dei dixit, cum sit factus a Deo sed per gratiam, quam postea peccando amisit, tamquam filius in paradiso constitutus sit“<sup>59)</sup>. Gratia ergo, quam Adam a Deo accepit et quam peccando amisit eum filium adoptivum constituerebat. Alius effectus huius gratiae exemptio a concupiscentia erat.

Anima Adae in illa gratia constituti vita speciali fruebatur, quam peccando amisit; et ideo anima eius mortua est. Deus enim homini in paradiso mortem comminatus est; per quam mortem tum mortem animae tum corporis tum totius hominis intelligere debemus<sup>60)</sup>. Mors animae est, „cum anima deseritur sua vita, quod illi Deus est“. Haec vita animae Adae inerat, hanc per

<sup>56)</sup> De pecc. merit. et remiss. I, 21, P. L. 44, 120.

<sup>57)</sup> De Gen. ad litt. XII, 21, P. L. 34, 437: „Intrincesus gratia deserente omnino nudati... in sua membra oculos iniecerunt eaque motu quem non noverant concupiverunt“. De civ. Dei. XIV, 17, P. L. 41, 421: „Gratia remota exstitit in motu corporis quaedam impudens novitas“. C. Jul. IV, 82, P. L. 44, 781: „Adam... spoliatus gratia sensit quod operire deberet.

<sup>58)</sup> J. Mausbach, op. cit. II, 113. Sententiam s. Augustini minime exprimit Turmel op. cit. p. 228, qui illam gratiam non quidem ad constitutionem primi hominis pertinere tamen a natura eius exigi affirmat; cf. hac de re ks. A. Słomkowski, Pierwotny stan człowieka p. 143.

<sup>59)</sup> De consensu Evang. II, 11. P. L. 34, col. 1076.

<sup>60)</sup> De civ. Dei. XIII, 12. P. L. 41, 385—386.

peccatum amisit et ideo spiritualiter mortuus est. Quae mors significata est verbis Dei „quando timore dementi sese abscondenti homini dixit, Adam ubi es? non utique ignorando quaerens, sed increpando admonens, ut attenderet ubi esset in quo non esset Deus“<sup>61)</sup>.

In paradiso etiam perfecta imago Dei in eo lucebat. Dubitari nequit quin s. Augustinus his expressionibus participationem primi, hominis in vita Dei seu gratiam sanctificantem designet<sup>62)</sup>.

### b) De „adiutorio sine quo non“.

S. Augustinus ut supra vidimus, tum rectitudinem et iustitiam, tum gratiam sanctificantem in primo homine agnoscit. Insuper supra monstravimus iustitiam saepius ab eo cum gratia sanctificante identificari. Kors ad probandam realem distinctionem gratiam inter et iustitiam originalem invocat celeberrimum textum operis *De correptione et gratia*<sup>63)</sup>.

Quidquid per „adiutorium sine quo non“ et per „adiutorium quo“ intelligamus, certum est in hoc opere sat magnam evolutionem doctrinae s. Augustini de gratia primi hominis manifestam esse. De „adiutorio sine quo non“ s. Augustinus tractat, quando de necessitate gratiae primis hominibus ad perseverandum necessariae loquitur. Eadem quaestio necessitatis gratiae ad perseverandum etiam antea ab episcopo Hipponensi tractatur, quin distinctio inter gratiam Adae et nostram gratiam fiat.

In *De Genesi ad litteram*, in textu supra citato, affirmat etenim, quod iustitiam de qua lapsus est homo recipimus<sup>64)</sup>.

Idem videri potest quando s. Augustinus verba Geneseos explicat: „Et sumpsit Dominus Deus hominem, quem fecit, et posuit eum in paradiso operari eum et custodire“. Haec verba quae sec. s. Augustinum de custodia paradisi intelligi possunt, etiam alium sensum admittunt, quem ipse praefert: „Est alius in his

<sup>61)</sup> Ibid XIII, 15, P. L. 41, 387. Cf. etiam De Trin. XIV, 6. P. L. 42, 1040. Cf. Mausbach op. cit. II, 114—115; P. Dumont, loc. cit. XI, 1931, p. 523.

<sup>62)</sup> Cf. hac de re ks. A. Słomkowski, Pierwotny stan człowieka, p. 90—91; 100—104,

<sup>63)</sup> Kors, op. cit. p. 14.

<sup>64)</sup> De Gen. ad litt. VI, 35. P. L. 34, 353—354.

verbis sensus, quem puto non immerito praeponandum, ut ipsum hominem operaretur Deus et custodiret“<sup>65</sup>). Et describendo modum, quo Deus in paradiso hominem custodierit et operatus sit, ea quae dicit non coarctat ad solum Adam, sed de omnibus hominibus valere affirmat: „Neque enim tale aliquid est homo, ut factus, deserente eo qui fecit, possit aliquid agere bene tanquam ex se ipso, sed tota eius actio bona est converti ad eum a quo factus est, et ab eo iustus, pius, sapiens, beatusque semper fieri: non fieri et recedere, sicut a corporis medico sanari et abire... Non ergo ita se debet homo ad Dominum convertere, ut cum ab eo factus fuerit iustus abscedat, sed ut ab illo semper fiat. Eo quippe ipso cum ab illo, non discedit, eius ipse praesentia iustificatur, et illuminatur, et beatificatur, operante et custodiante Deo, dum obedienti subiectoque dominatur“.

In iustificatione hominis duplex ergo actio distingui potest: altera Dei, altera hominis. Deus semper suum influxum in hominem exercet, hominem iustum, sapientem, beatum reddendo et illuminando. Haec est actio Dei in hominem; sic Deus in homine particulari modo praesens est. Praesentia Dei in homine, de qua in hoc textu Doctor gratiae agit, sine dubio designat particularem praesentiam Dei in homine, quam s. Augustinus alio loco bene distinguit, a communi praesentia Dei in creaturis<sup>66</sup>). In textu supra citato *De Genesi ad litteram* etiam illuminatio significat participationem alterius vitae, in quo sensu s. Augustinus hoc verbo saepius utitur<sup>67</sup>).

Insuper opus est actione hominis, quae in hoc consistit quod homo a Deo non abscedit sed ad eum semper conversus est: „eo quippe ipso cum ab illo non discedit, eius ipse praesentia iustificatur, et illuminatur, et beatificatur“.

In hoc textu, ut vidimus, s. Augustinus non distinguit gratiam Dei, quae primis parentibus ad perseverandum necessaria

<sup>65</sup>) Ibid. VIII, 23. P. L. 34, 381.

<sup>66</sup>) De Trin. XIV, 16, P. L. 32, 1048—1049. Cf. supra; cf. etiam ks. Słomkowski. Pierwotny stan człowieka, p. 104—105; A. Gardeib op. cit. I, 121.

<sup>67</sup>) Cf. In Joan. tract. 19, 13. P. L. 35, 1550: „Anima aliquod aliud est antequam illuminetur et fit melius cum illuminatur participatione melioris“. Cf. J. Hessen, Augustins Metaphysik der Erkenntnis, Berlin-Bonn 1931, p. 78; „Endlich spricht Augustin vom geistigen Lichte auch im Sinne der Gnadenerleuchtung“.



erat, ab ea, qua nos ad hunc finem indigemus. Nec in scriptis posterioribus sed ante *De correptione et gratia* compositis ullam distinctionem hac in re facit sed generaliter docet, quod Adae ad perseverandum divino adiutorio opus erat quamquam natura eius „integra et sana“ erat, et quamquam ipse in statu iustitiae erat. In *De natura et gratia* (a. 415) scribit contra Pelagianos: „Si de integra et sana hominis natura loqueretur (Pelagius), nec sic recte diceret, quod non peccare nostrum tantummodo sit, quamvis peccare nostrum esset: nam et tunc esset adiutorium Dei, et tamquam lumen sanis oculis, quo adiuti videant, se praeberet volentibus“<sup>68</sup>). Quam doctrinam exprimit aliis verbis aliquot annis post: „Sine gratia nec tunc ullum meritum esse potuisset... non iustitiae retinendae sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni divinum adiutorium praeberetur“<sup>69</sup>).

In his textibus s. Augustinus loquitur in genere de necessitate gratiae in statu Adae, quin distinctionem inter illam gratiam et eam, qua nobis opus est, describat. De hac distinctione non nisi sub finem vitae suae in textu notissimo *De correptione et gratia* loquitur, ubi gratiam Adae collatam a gratia nobis data distinguit. Impossibile est in brevi articulo omnes opiniones afferre, quae de „adiutorio sine quo non“ dictae sunt<sup>70</sup>).

Ad elucidandam nostram quaestionem sufficiat dicere, quod „adiutorium sine quo non“ simpliciter cum gratia sanctificante identificari nequit, et ideo impossibile est ad probandam realem distinctionem inter gratiam sanctificantem et iustitiam originalem affere textum a Kors allatum: „Tunc ergo debet homini Deus bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rectum;

---

<sup>68</sup>) *De natura et gratia*, 56, P. L. 44, 274. Notandum quod s. Augustinus in illis textibus non distinguit adiutorium Dei necessarium ad perseverandum in ordine naturali a gratia. Cf. J. Mausbach op. cit. II, 48—49; idem *Wesen und Stufung des Lebens nach dem heil. Augustin*, in Grabmann-Mausbach, *Aurelius Augustinus*, Köln 1930, p. 191—193; A. Gallard, *Études sur l'histoire de la doctrine de la grâce*, Paris-Lyon 1897, p. 86. Ks. A. Słomkowski, *Pierwotny stan człowieka*, p. 111—112.

<sup>69</sup>) *Enchirid*, 106. P. L. 40, 282, cf. *De civ. Dei*, XIV, 13, P. L. 41, 420: „...et voluntas in amore superioris imutabilis boni, a quo illustrabatur ut videret et accendebatur ut amaret, stabilis permaneret“.

<sup>70</sup>) Has opiniones alio loco citavimus; cf. ks. A. Słomkowski, *Pierwotny stan człowieka*, 115—127.

dederat adiutorium, sine quo in ea non posset permanere si vellet<sup>71)</sup>.

Finis quem s. Augustinus in eo opere in capite XI et sequentibus prosequitur est explicare possibilitatem peccati Adae, et probare differentiam inter gratiam quae Adae collata erat et eam, quam nunc habemus.

Adam „habuit Dei gratiam... magnam“<sup>72)</sup>; quae necessaria erat, „quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adiuvetur ab omnipotenti bono“. Ea gratia homini semper praesto erat et usus eius ab eo pendebat; „tale quippe erat adiutorium, quod desereret cum vellet, et in quo permaneret si vellet“<sup>73)</sup>.

Haec gratia conditio necessaria perseverandi in statu accepto erat, nam sine hoc adiutorio homo perseverare non posset<sup>74)</sup>. Deus enim homini „dederat adiutorium sine quo in ea (bona voluntate) non posset permanere si vellet... posset ergo permanere si vellet: quia non deerat adiutorium per quod posset, et sine quo non posset perseveranter bonum tenere quod vellet“<sup>75)</sup>. Illud adiutorium a s. Augustino comparatur cum adiutorio alimentorum, quae quidem ipsam vitam non dant, eam tamen possibilem reddunt et conditio sine qua non vitae sunt. „Sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cum adfuerint alimenta eis fit ut vivat qui mori voluerit. Ergo adiutorium alimentorum et sine quo non fit“<sup>76)</sup>.

Istud adiutorium non est gratia sanctificans, sed gratiam sanctificantem iam collatam supponit, et ut clare patet ex textibus citatis, adiutorium sine quo non gratia perseverantiae est quae tamen non dabat ipsam perseverantiam sed non nisi possibilitatem perseverandi in bono et vitandi malum.

Hoc adiutorium, quod aliud est a gratia sanctificante distinguitur manifesto etiam a iustitia. Nam adiutorium non est ipsa

<sup>71)</sup> De corr. et grat. 32. P. L. 44, 935.

<sup>72)</sup> Ibid. 29, P. L. 44, 933.

<sup>73)</sup> Ibid. 31, col. 935.

<sup>74)</sup> Ibid., „nec illa (gratia) quidem parva erat, qua demonstrata est etiam potentia liberi arbitrii, quoniam sic adiuvabatur, ut sine hoc adiutorio in bono non maneret“.

<sup>75)</sup> Ibid. 32, col. 935.

<sup>76)</sup> Ibid. 34, col. 936—937.

iustitia, sed perseverantiam in accepta iustitia possibilem reddit: „Prima (gratia) est enim qua fit, ut habeat homo iustitiam, si velit“ 77). Quibus verbis s. Augustinus dicere non vult, quod iustitia per gratiam datur, sed quod Adam per gratiam in iustitia perseverat. Ista iustitia non solum exprimit rectitudinem voluntatis, sed etiam id quod theologi posteriores gratiam sanctificantem vocant. Nam, ut iam vidimus, iustitia saepius a. s. Augustino cum gratia identificatur. Insuper constat, quod illud adiutorium primum hominem bonum non faciebat, sed solummodo conditio perseverandi in bono erat. Adam enim „ut reciperet bonum gratia non egebat, quia nondum perdiderat: ut autem permaneret, egebat adiutorio gratiae, sine quo id omnino non posset“ 78). Certum est autem quod secundum s. Augustinum bonitas seu bona voluntas sine gratia sanctificante esse non posset, quod patet iam ex eis, quae antea diximus.

Item in hoc opere s. Augustinus bonos opponit peccatoribus et malis; boni sunt ii, qui antea mali fuerunt, qui tamen sanguine Christi redempti et in aeternum boni mansuri sunt, quorum „fides quae per dilectionem operatur profecto aut omnino non deficit aut si qui sunt quorum deficit, reparatur ante quam vita ista finiatur, et deleta quae intercurrebat iniquitate, usque in finem perseverantia deputatur“ 79). Mali autem de quibus hic sermo est sint ii qui sunt ex illa massa perditionis antequam ex illa discreti sunt 80).

Sic sine difficultate intelligitur haec assertio Doctoris gratiae de primo homine: „nam, ut reciperet bonum, gratia non egebat, quia nondum perdiderat: ut autem in eo permaneret, egebat adiutorio gratiae, sine quo id omnino non posset“ 81). Homo in bono creatus erat, propterea non egebat gratia, qua bonum acciperet, sed solummodo tali, qua hoc bonum retineret. Patet quod haec gratia perseverantiae non est identica cum gratia sanctificante, sed gratia sanctificans esse supponitur in homine bono, qui

77) Ibid. 31, col. 935.

78) Ibid. 32, col. 936; cf. ibid. 935: „Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem; in illa quippe eum fecerat qui fecerat rectum: dederat adiutorium sine quo in ea non posset permanere si vellet“.

79) Ibid., 16, col. 925.

80) Ibid.

81) Ibid., 32, col. 936.

ad perseverandum in ea bonitate gratia perseverantiae id est adiutorio sine quo non egebat.

Ad eandem conclusionem ducimur, si notionem naturae humanae a sancto Augustino datam prae oculis habemus. De naturis rerum creaturarum loquens s. Augustinus non considerabat modo Aristotelico aut Thomistico essentias rerum, quae in apprehensione sensuum fundamentum haberent et quas ope abstractionis efformare possemus, sed eas considerat in mente divina existentes. Omne enim, quodcumque formatur, formatur secundum ideas divinas, quod clare patet ex textu bene noto libri *De diversis quaestionibus LXXXIII*: „sunt namque ideae principales formae quaedam vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quae ipsae formatae non sunt, ac per hoc aeternae ac semper eodem modo sese habentes, quae in divina intelligentia continentur; et, cum ipsae neque oriantur neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri et interire potest et omne quod oritur et interit“<sup>82</sup>).

Ergo ideae in Deo existentes naturas rerum constituunt; omnes res tales esse debent, ut ideis divinis respondeant. Et vice versa, in mente divina tales ideae rerum sunt, quales naturas rerum Deus creare proposuit. Hoc valet etiam de homine, qui talis esse debet, ut illi divinae ideae respondeat. Ea est natura eius. Talis erat homo in paradiso, nam creatus erat in eo statu, in quo Deus eum habere voluit. Eam plenitudinem essendi habere debet. Ideo s. Augustinus affirmat, quod natura hominis in paradiso vera natura erat: „natura qualis sine vitio primitus condita est: ipsa vere ac proprie natura hominis dicitur. Translato autem verbo utimur, ut naturam dicamus etiam, qualis nascitur homo“<sup>83</sup>). Accipiendo naturam in hoc sensu, s. Augustinus affirmare potest, quod ad imaginem Dei „naturaliter facti sumus“<sup>84</sup>),

---

<sup>82</sup>) De div. quaest. LXXXIII, 46, 2, P. L. 40, 30. Cf. Cayré, op. cit. p. 248: „L'un des points les plus caractéristiques de cette philosophie est l'idéalisme exemplariste. Toute créature, quelle que soit sa nature, est une réalisation d'une idée de Dieu. C'est la pensée de Dieu, qui constitue chaque être dans son essence“. Cf. etiam Ch. Boyer, *L'idée de vérité dans la philosophie de s. Augustin*, Paris, 1921, p. 123.

<sup>83</sup>) *Retract.* I, 10, 3, P. L. 32, 600, cf. *ibid.* I, 15, 6; col. 610.

<sup>84</sup>) *De spir. et litt.* 47, P. L. 44, 229.

per imaginem Dei s. Augustinus omnia bona intelligit — etiam gratiam habitualement — quibus homo in paradiso ornatus erat.

Ideo etiam s. Augustinus loquendo de natura, privata donis, quibus primitus homo gaudebat, eam naturam vitiatam appellare potest<sup>85</sup>). Natura enim post peccatum primitivam perfectionem amplius non habet, quippe quod peccata ei „adimunt integritatem“<sup>86</sup>).

Non parvi momenti pro nostra quaestione est questio, quidnam vitium naturae adimat, aliis verbis quidnam animae vitiatæ desit. Hac in re respondendum est quod plura sunt, quae natura humana peccando perdidit, quaeque ad eius primitivam integritatem pertinent: possibilitas non moriendi, libertas a concupiscentia, liberum arbitrium, quod peccatum vitare poterat, et insuper vita animae, quam posteriores theologi gratiam sanctificantem appellant.

Vidimus enim supra quod s. Augustinus talem vitam in anima Adæ admittit, et dubium non est, quin hanc vitam ad hominis naturam, in sensu supra exposito intellectam, pertinere doceat. Mors animae præcise in eo consistit, quod anima „sua vita, quod illi Deus est“, careat<sup>87</sup>). Sic homo peccando minor fit quam erat, „cum ei qui summe est inhaerebat“<sup>88</sup>).

Natura integra hominis ergo secundum s. Augustinum est talis natura qualis in paradiso a Deo creata est: id est „spiritus anima et corpus: quae rursus duo dicuntur, quia saepe anima simul cum spiritu nominatur“<sup>89</sup>); et quidem anima fruens Deo et illuminata a Deo, qui eius vita est. Unde patet quod impossibile est consentire assertioni P. Kors, qui in notione naturae a S. Augustino data, invenire vult fundamentum suae theseos de reali distinctione inter iustitiam originalem et gratiam sanctificantem<sup>90</sup>).

<sup>85</sup>) De peccat. merit. et remiss. I, 67, P. L. 44, 149. De civ. Dei, XIII, 14. P. L. 41, 386. Vide ks. A. Słomkowski, Pierwotny stan człowieka, 135—134.

<sup>86</sup>) De civ. Dei XLL, 3, P. L. 41, 351.

<sup>87</sup>) De civ. Dei, XIII, 15, P. L. 41, 387. Vide ks. A. Słomkowski op. cit. p. 87—108.

<sup>88</sup>) De civ. Dei, XIV, 13, P. L. 41, 421.

<sup>89</sup>) De fide et symb. 23, P. L. 40, 193.

<sup>90</sup>) Kors, op. cit. p. 14, postquam textus s. Augustini supra citatos attulit, concludit: „Si on rapproche ces paroles de la conception augustinienne de la nature, telle qu'elle est exprimée souvent dans les oeuvres du saint Docteur... à savoir que la nature telle quelle a été créée dans la rectitude est la vraie nature humaine, il semble légitime, à notre avis, de concevoir

In hac quaestione ergo concludere possumus, quod, quamcumque partem doctrinae Augustiniana inspiciamus, semper ad conclusionem pervenimus, quod iustitia originalis a s. Augustino a gratia sanctificante realiter non distinguitur sed potius cum ea identificatur. Hac in re sicut in tot aliis nondum habemus in operibus s. Augustini determinatam terminologiam et sensus nominum saepe mutatur, tamen in eis textibus, ubi et de iustitia originali et gratia sanctificante loquitur, realem distinctionem inter utramque minime facit.

*Lublin*

*Antonius Słomkowski,*  
Prof. in Univ. Cath. Lubl.

---

cette rectitude, non pas comme proprement et substantiellement surnaturelle, mais comme un don spécial surajouté, qui n'élevât pas à l'ordre surnaturel, comme le ferait la grâce sanctifiante. La justice originelle est donc réellement distincte de la grâce“.